

RXVI b. 8. 97. 2

Iac. Lodoici Strebæi Præfatio,
ad Ioannem Bertrandum Senatorem, & Lute-
tiæ Parisiorum Curia præsidem.



UVM libros Aristotelis de
civili scientia, Præses æquis-
sime, Latine reddidissim, &
illis multa quæ ad tuendæ rei
familiaris artē pertinent, con-
tineri animadvertissim: ut ca-
tera quæ nunc extant, ab anti-
quis ea de re subtiliter & acu-
tè disputata, haberentur, à Græco vertenda, & in usus eo-
rum qui aut Græcè nesciunt, aut Latini sermonis inopia la-
borant, edenda diuulgandæque mihi duxi. Quod eò liben-
tius feci, quia ordo rerum, viæque rationis hoc iubet, ut è
multis ad paucos, è paucis ad unum, ex disciplina civili ad
œconomicam, ex œconomica ad moralem facta partiitione
veniat. Quòd autem libri superiores in tuo nomine ap-
paruerunt, hos quoque non solum philosophorum principis
authoritate, sed etiam materiæ quæ subiecta est affinita-
te coniunctos, ne ullum diuortium fieret, eodem nomine di-
uulgandos esse iudicaui. Accedit, ut hoc negotium, quod
nō inutile futurum puto, suasore te & authore susceperim.
Quamobrem faciundum mihi videbatur, ut cuius horta-
tione rem perhonestam moliri cœpissim, illius ampla digni-
tate confectum opus illustrarē. E quidem scio nihil arduum,
nihil magnum hanc præ se ferre disciplinam: & hoc quic-
quid est honoris, multos procuratoribus & villicis commi-

P R Æ F A T I O.

fuisse, quò liberius aut studio sapientiæ, aut Reipub. darent
 operam. Nec ignoro summam vim tuæ naturæ, summam
 iuris rerumque civilium cognitionem, præterea singularem
 tuam prudentiam, & amplitudinem honoris atque magi-
 stratus quem geris, esse longè præstantiorem, quàm quæ de-
 beat hac distrahi cura: tamen æconomicam Cyrus non mi-
 nus coluit, quàm bellicam virtutem: & M. Cato Censo-
 rius haud minus libenter audiit, quum diceretur bonus pa-
 terfamiliās, quàm quum summus imperator. Possum, nec
 ipse non potes, enumerare plures viros clarissimos, qui do-
 mus augendæ studio capti, magnam sibi quasiere laudem,
 propterea quòd haberent opes honesto labore paratas, quibus
 & templa & sacrificia augerent, patriam iuuarent, pro-
 pinquos necessariōsque sustinerent, hospites acciperent libe-
 ralter, miserorum leuarent inopiam, magnam alerent fami-
 liam, se domumque suam decenter ornarent. In eum te nu-
 meum adscribere licet, qui potes & explēs hęc omnia, si
 non una ratione domus regendæ, quòd euaseris ad altiora,
 tamen & hac via non mediocriter adiutus. Nam plures e-
 que, plurēsque ministros alere, in officio quēque suo conti-
 ner, cuique necessaria suppeditare, aulais, stragulis, lanea,
 linia, serica veste, lectis pulchrè structis, mensis, abacis, va-
 sis multis atque pretiosis, suppellectili copiosa lautæque refer-
 tam habere domum: liberos plures magnis impensis educa-
 re, & tūc erudire, perpetuos facere sumptus, nec solū ne-
 cessarios, sed etiam liberales: non habere æs alienum, inte-
 grum seruare patrimonium, sic viuere ut nemini cuiquam
 fiat iniuria: hęc & alia generis eiusdem, quæ iam multos
 anno optimè facis, si quis dicat non esse boni patrisfamiliās,

P R Æ F A T I O.

qui sciat rem tueri, non intelligo quod œconomia munus esse putet. Hæc itaque siue ars, siue exercitatio quædam & facultas, tamen si nihil arduum (ut institueram dicere) præ se fert, & quas adeptus es artes, obtinent principatum, non tamen indigna Senatoris amplissimi nomine. Si canimus syluas, inquit poëta, sylvæ sint Consule dignæ. Si tractamus œconomica syluis ampliora, sint œconomica digna senatore. Leges igitur & hæc nostra (dico nostra, ut sua Plautus & Terentius, quæ verterant è Græco) & eò libentius quidem leges, quòd mihi fueris author, ut ista conuersa diuulgarem. Id quidem fecisti, sat scio, non quòd tibi, cui nota sunt hæc omnia, perciperes inde fructum, sed ut aliorum consuleris utilitati. leges tamen, ut quid auspiciis tuis sit effectum, indicare possis. Quum libri tres de re familiari nomine Aristotelis inscripti reperiantur, primum solum verbis Latinis expressi, nec eum totum, propterea quòd magna pars eius desideratur. Quod reliquum est, tam sententiosa breuitate, tam arguta subtilitate, tam composito ordine rem completitur, ut eorum qui vias artis huius inquirunt, desiderium mirum in modum commoueat. Aristoteles rem omnem, cuti Xenophon, in unum librū contulerat: id ostendit Eogenes Laërtius, sed quum Leonardus Aretinus incidisset in libellum quendam de viri & uxoris moribus, & deenda coniugij societate, qui nec Aristotelis acumen, nec uentionem, nec collocationem, nec dicendi genus præ se fert, nec rebus eius aptè coheret, illū supposuit: siue quòd in philosophi nomen inuaserat, siue quòd ad œconomiam pertere videbatur. Quæ scripsit Aretinus, extant: Græcæ rō non extant. Aldus autem quum reperisset opus auo-

P R Æ F A T I O.

ris incerti de vectigalibus regum atque populorum, de conficienda pecunia, propterea quòd œconomia nomen usurpabat, etsi ad eam, de qua agebat philosophus, non erat congruens & accommodatum, tamen adiecit, & altero loco donavit. Ego qui certò scirem nec Aristotelis esse, nec ad œconomicam facultatem, de qua nunc agimus, pertinere, conuersum nolui: sed ut supplerentur ea quæ supererant, Xenophontis œconomicon Latinum feci: quo nihil & inuentione & ornatu præstantius digniusque inueniri potest, quod cum præceptionibus Aristotelis coniungatur. Quum scriptoris utriusque res inter se confero, multis magnisque rationibus adductus hoc iudico, vel ex eodem fonte deductas, vel quæ sunt Aristotelis, è Xenophonte decerptas. Fuit hic vir egregiè doctus, & eadem qua præceptor Aristotelis diuinus ille Plato, disciplina formatus. Hi, qui essent duo Socraticæ philosophiæ lumina, (ut ait Aulus Gellius) certare & æmulari inter se visi sunt: quia de iis apud alios uter esset præstantior maiorque, currebatur. Xenophontis elegantiam M. Cicero laudat in Oratore: Illius, inquit, sermo est ille quidem melle dulcior, sed à forensi strepitu remotissimus. Et Quintilianus, Quid, inquit, commemorem Xenophontis illam iucunditatem in affectatam, sed quam nulla affectatio consequi possit? ut ipse sermonem Gratiæ finxisse videantur: & quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc iustissimè transferri possit, in labris eius sedisse quandam persuadendi deam. Nec eius facundiam modò laudant veteres, sed etiam rerum sententiarumque pondus. Semper Africanus, inquit Cicero Tusculanarum secundo, Socraticum Xenophontem in

P R Æ F A T I O.

manibus habebat. Idem libro de Officiis secundo, Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abest turpitudine: conseruari autem diligentia & parsimonia: iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissimè Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro qui æconomicus inscribitur: quem nos ista ferè ætate quum essemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum conuerimus. Habes acutissimi viri de Xenophontis æconomico sententiam: ex qua facile perspicitur potest, opus esse dignum quod Latine reddatur. Vertere conatus erat Raphael Volaterranus, sed ei non successit ex sententia. Videtur enim nescio quid aliud potius, quàm quod susceperat, interpretari. Sæpe totos locos præterit. Sæpe sententias scriptoris immutat. Sæpe fertur in errorè, & quò tendant Græca non videt. Alia mutila & decurtata, alia multis verbis aucta ponit. Sæpe barbarè loquitur & impurè. Quumque fugere vult molestam verbi Inquit & Inquam repetitionem: nec illam fugit omnino, nec aperte distinguit colloquia personarum. Ego quidem penè verbum verbo reddidi, nisi quum ratio linguæ Latinæ vetuit. Verbis Inquit & Inquam sum usus necessariò: quod & Ciceronè multis in libris fecisse video. Omnia qua potui maxima diligentia conuerti, rerum studiosus magis, quàm verborum: quæ tamen haudquaquã neglexi. Græca deprauata correxi beneficio consultissimi iudicis, atque longè doctissimi Ranconeti: qui, ut est amantissimus omnium literarum, codices manu scriptos summa diligentia conquirat, quibus non ipse modò, sed alij quoque inuentur. quo nomine multa viro debentur ab iis qui sectantur literas puriores. Is mihi duos codices vetustos eleganti manu depictos cõmodauit. Illos cum

P R Æ F A T I O.

tribus aliis contuli, & quæ mihi recta videbantur, adhibito iudicio, secutus sum. Quòd si elegantissimi oratoris & philosophi neque suauitatem, neque venustatem, neque lepidas exornationes imitari potui, non est cur id mihi quisquam det vitio. Sermo Romanus (teste Fabio) non illam recipere videtur solis concessam Atticis venerem. Graijs, ut ait Horatius, dedit ore rotundo Musa loqui. Nobis verò, etiam si cupiamus, nō licet esse tam disertis. Adde quòd in conuertendis Græcis, quia rebus & verbis aliorum seruiendum est, nec tam liberè fluit oratio, nec locos amœnos tam sequitur, quàm si alueum pronum, dulcēsque voluptates sibi delegisset. Id apertè demonstrat oratio M. Ciceronis, qua res Platonis de vniuersitate prosequitur. Quàm fuerit humilis ac demissus in hoc vertendo Xenophontis œconomico, testatur diuus Hieronymus in præfatione quã scriptam reliquit in Eusebij Casariensis chronica. Noster (inquit) Tullius, Platonis integros libros ad verbum interpretatus est: & quum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis œconomico lusit: in quo opere ita sæpe aureum illud flumen eloquentiæ quibusdam scabris & turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretatum nesciunt à Cicerone, dicta non credant. Difficile est enim alienas linguas insequentem, non alicubi excidere. Arduum, ut quæ in aliena lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conseruent. Hec ille. Si vir ingenij summi, liberaliter institutus omni genere disciplinæ, & oratorum facile princeps, seculo tam felici, Atticam venustatem, qua Xenophon maxime præditus est, assequi non potuit, minimè mirum debet videri, si nos & naturæ

Disciplina rei familiaris à ciuili scientia nō solū tam differt, quā domus à ciuitate, (nam domus & ciuitas est subiecta quasi materia duabus his artibus) verumetiam quò administratio ciuitatis ad plures magistratus: domus autem rectio, ad vnus impetitur, eò disiuncta, quia non est, efficere, & uti factio, ut lyentia est, & ab initio constitutione uti constituta. Vnde familiaris, & domum comparata. Nam ciuitas est domorum satis est ad bene viuendum. Vnde finem, propterea quò si sunt ij qui in ciuitatem conueniunt, que etiam non alia de causa, sed rei substantia, propter quod apparet igitur rei familiaris arripriorem. Ab hac enim, quia illius functio perficitur. Itaque, & quod sit eius officium,

ARIST. OECONO.

videndum est. Domus partes sunt, homo, & rerum facultates. Quod autem principio natura cuiusque rei minimis in partibus spectatur, hoc quoque modo natura domus est consideranda. Ut vult igitur Hesiodus,

Primum ædes, mulierque, & bos habeatur arator.

Hic enim primum victus & alimenti gratia comparandus, illa verò hominum ingeniorum atque liberorum causa. Debet igitur œconomia peritus uxoris consociatione recte & prudenter instituere, hoc est apparare, & talem qualis esse debet, efficere. Facultatum prima cura, studiumque præcipuum sit, ut quod secundum naturam est. In iis artibus autem quæ secundum naturam sunt, priorem obtinet locum ratio agri colendi: alterum verò, quæcumque e terra aliquid exquirat, ut quæ metalla trahit, & si quæ sunt aliæ generis eiusdem. Sed agricultura prima laus est, propterea quod iure nititur, ac iustitia. Non enim rem querit ab hominibus aut non inuitis, ut quas exercent caupones, & qui mereantur à mercatoribus quod statim vendant, atque opere mercenariorum: aut inuitis, ut bellicæ. Cui iunge & illud, esse secundum naturam, quia natura coparatum est, ut à matre sit omnibus alimentum. Est igitur hominibus à terra. Præterea ad laborum tolerantiam ac fortitudinem perutilis est. non enim sicut artes sordidæ, ita corpora infirma & inutilia facit: sed quæ sub dio manere, laborare, atque etiâ aduersus hostes adire periculum possint. Nam soli agricolæ res suas extra munitiones habent.

In hominum genere curando, prima uxori adhibenda cura. Societas enim feminae & mari maxime naturalis est. Huius rei fundamentum à nobis alibi positum est, naturam

Cap. 2.

cupere talia multa procreare, qualia produxit, ut in quodq;
 genere animalia. At fieri non potest, ut hoc fœmina sine
 mare, aut mas sine fœmina perficiat. Quamobrem societas
 illorum necessario coniuncta. Est istud quidem in aliis ani-
 mantibus nulla ratione duce: & quatenus illis est natura
 communis, eatenus solum procreanda sobolis gratia coeunt:
 in cicuribus autem, & in iis, quibus est plus cuiusdam
 prudentiae, perspicua magis atque manifesta societas:
 quia magis elucet mutua auxilia, benevolentia, labo-
 res, & opera communes. In homine vero maximè perspi-
 citur hæc coniunctio, quod mas & fœmina, non solum ut
 sint, sed etiam ut bene sint, inter se dant operam. Et ha-
 bentur liberi non modò ut natura seruiatur, verumetiam
 ut inde capiatur utilitas. Nam quæ parentes, quum vi-
 res haberent, labore suo in ætatem liberorum debilem con-
 tulerunt: debilitati senectute, & viribus destituti, a valen-
 tibus quasi deposita recuperant. Adde quòd & hoc am-
 bitu & velut orbe natura supplet eternitatem, si non sin-
 gulorum numero, at certè specie conservata. Sic à deo sum-
 mo rerum moderatore natura utriusque & viri & mu-
 lieris ad coniunctionem societatemque preparata est, &
 ad efficiendam domum sapienter constituta. Distincta
 variatæque est ab illo, ne esset utrique ad eadem omnia
 similiter utilis & idonea facultas, sed in quibusdam ad
 contraria, quæ tamen eodem contenderent, apta. Alteram
 valentio rem, alteram minus robustam fecit, ut hæc addu-
 cta metu diligentius aduigilet ad custodiam rerum: ille for-
 titudine præditus, sit animosior ad propulsandam iniu-
 riam, ut ille rem quærat foris, atque domum importet: hæc

B ij

Affertur in potest

Mat. ut. signum. sed. et. quod. non.
 potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

Quod. si. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.
 quod. non. potest. fieri. ut. hoc. fœmina. sine.
 mare. aut. mas. sine. fœmina. perficiat.

et. quod. quidem

In opibus patrisfamilias illud est primum

LIBER.

I have my subscription
to you & understand my
paper & understand my
the same for the purpose
of giving me the same

understanding of the same
as I am able to do so
I will send you the same

Yours truly
J.B. III

[illegible]

I my second century
 Q in Jingo no vultus aethi-
 As affinis sumptus & dicitur
 Q in Jingo no vultus aethi-
 As affinis sumptus & dicitur
 Q in Jingo no vultus aethi-
 As affinis sumptus & dicitur

[illegible][illegible]

Inferum
magis est...
ut magis...

Q. m. l. z. d. t. e. y.

Q. m. l. z. d. t. e. y.
omni...
ut magis...

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

partes et nom.

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

ARIST. OECONO.

per idem suggeritur, non esse medicamentum. In servorum genere optimi ad opera faciunda sunt habendi, qui neque plus equo timidi sunt, neq; plus satis animosi. Neutri quod iustum est, faciunt. Etenim plus equo timidi nihil audent, nihil inopia animi sustinent: animosi vero non facile dicto sunt audientes. Omnibus autem certis finis terminisque constituendus est. Nam iustum est ac utile, esse premium propositum, libertatem. Dabunt enim libeter operam, atq; laborabunt, quum premium fuerit propositum, tempusque definitum. Suntque procreatis liberis quasi pignoribus obstringendi. Nec plures gentis eiusdem, ut in urbibus, sic & in aedibus habendi. Atque propter servos potius, quam liberos sacra faciunda, & huiusmodi latitia, atque voluptas fruenda. percipiunt enim servi maiorem fructuum partem & commodorum, propter quae sunt hac lege constituta.

Partes economi in pecunia rerumque facultatibus sunt quatuor. Etenim debet habere querendi facultatem, atq; servandi, aliqui inutilis esset querendi ratio. Hoc quidem est aquam haurire colo, & quod aiunt, dolium perforatum. Præterea scire debet bona suo quaque loco & ordine decenter & apte disponere, ut domino sint ornamento: & quum tempus est, utenda depromere. Nam propter hac illis egemus. Discrimen atque differentia statuenda est inter genera bonorum. Et plura fructuosa, quam quæ fructum non ferunt habenda. Negotia atq; opera sic administranda partiendaq; sunt, ut non una periclitentur universa. Ad rem familiarem tuendam prodest, institutis uti Persicis, & Laconicis: & Attica iuvat economia. Athenienses enim vendentes emunt, nec in minoribus economiis pe-

Q. m. l. z. d. t. e. y.
ut magis...

8

[illegible][illegible][illegible]

The m^d 409^t anten^a
 from bottom of m^d 409^t anten^a
 very gray all d^l faintly marked
 with grayish yellow
 M^d 409^t anten^a very gray
 and very faintly marked

[illegible]

I received this letter of the 20th inst. and
 was much surprised to find that you
 had been thinking of leaving the
 office of the Board of Education. I
 am glad to hear that you are
 well and hope that you will
 be able to continue your
 service to the Board for some
 time longer. I am, Sir,
 Very respectfully,
 Your obedient servant,
 J. H. ...

ARIST. OECONO.

lique faciundum, sepositis iis quibus utendum quotidie, & iis quæ raro sunt & sui. Hæc tradenda prefectis. Postea certo quodam tempore, quæ recodideris, inuisenda: ne tu quid saluum & integrum, quid perditum & imminutum sit, ignores. Quum domus ædificatur, habenda ratio rerum quæ possidentur, & valetudinis: atque hominum commoditati incunditatique prospiciendum. Habenda ratio rerum: ut, Videndum qui locus ædium fructibus, rei que vestiariæ commodus erit: qui fructibus siccis, quique humidis: & in diuerso genere rerum, qui animatis, quique inanimatis, seruis & liberis, mulieribus & viris, peregrinis & ciuibus. Ut hominum commoditati incunditatique & valetudini prospiciatur, domus ita statuenda, ut æstate salubres ventos, hyeme liberum solem facile admittat. Talis erit, si antica ad meridiem, postica ad septentriones habeant latera longiora. Vbi magnæ administrantur opes, ianitor, cuius in aliis rebus nullus sit usus, videtur utilis: qui quæ importantur, & exportantur, obseruet. Ad expeditum promptumque supellectilis usum pertinet Laconica dispositio. Instrumentum quodque suo poni loco debet: quod enim sic est in promptu, non requiritur.

F I N I S.

In Aristotelis œcono- MICVM SCHOLIA, EX prælectionibus Leodegarij à Quercu.



Huius exigui, sed tamē eximij libri scopus est, depingere perfectum, & omni laude cumulatum patrem familiam, qui optimè queat rem domesticam constituere, & constituta optimè uti. Orditur autē à differentia quæ est inter familiarem disciplinam & civilem. Hæ verò differunt non solum subiecto, sed etiam ratione administrandi. Subiectum œconomices, est domus. Politices, est ciuitas. In domo vnus dominatur, pater familiam: In Rep. multi, magistratus. Ut autē inter versus Homeri, multi tanquā supposititij partus reperiuntur. (quos acri iudicio reiecit velut spurios Aristarchus) sic irrepserūt inter opera Aristotelis, multi libri nō legitimi tori. Eius enim nomine circūferuntur latinitate donati tres libri œconomicorū, quorū secundus et tertius sunt adulterini.

Sunt artes ab his.

Postquā docuit discrimen œconomices & politices, nunc ostendit in quo inter illas cōueniat: nempe in hoc, quod ut œconomices est condere domū, & condita bene uti: sic politices est constituere ciuitatē, & constituta bene uti. Id quod tamen non fit in omnibus alijs artibus. Quædam enim artes efficiunt instrumenta, sed earū artifices his non utuntur. Ut fabrilis ars efficit lyram, faber tamen non utitur lyra: sed lyricen musicus. Quædā verò artes operantur, & earum opifices utuntur eodē opere facto. Inter quas ascribere licet œconomicā & politicā.

Nam ciuitas.

Definitio est ciuitatis.

Ad bene viuendum.

Principio primi capitis lib. primi Politicorum, Aristoteles colligit syllogismo omnes ciuitates causa alicuius boni cōstitutæ, hoc modo: Omnis societas est gratia boni alicuius constituta: Atqui omnis ciuitas est societas: Omnis igitur ciuitas est causa boni constituta. Idem inuenias principio libri primi Ethicorū eiusdem. Et apud Ciceronem libro sexto de Repub. & in præfatione libri primi de Inuentione, eiusdem Ciceronis.

Id autem.

Locus habet hunc sensum. Cuius gratia vnumquodque fit, illud est eius natura: sed gratia boni fit ciuitas: ergo bonum est de natura & essentia ciuitatis.

Quia domus est.

Ratio cur œconomica sit prior ortu quàm politica hinc colligitur, quod illius opus sit prius opere huius. Nam partis officium est ante officium, totius. Ut patet

de statuis quarum singulae partes sunt ante totum ipsum.

Domus partes.

Videtur definire domum per diuisionem, ut fecit Cicero officium, libro I. Officiorum. Domus partes sunt homo & possessio. Homo diuiditur in virum & uxorem. Possessio, in seruum, agrum, animalia ad colendum agrum necessaria, & reliquam suppellectilem ad victum necessariam. quod probat versu Hesiodi in libro qui inscribitur Opera & dies:

Imprimis tibi quære domum, sociamque, bouemque.

Quia ergo initio Politicorum fecisset quatuor partes domus, hic breuius reduxit ad duas. Nam nomine possessionis hic complectitur quicquid est in nostro dominio.

Minimis in partibus.

In disciplinis videmus principium considerari & sumi à minimis, sic grammatica inchoat à literis: Geometria à puncto: Arithmetica ab unitate: Musica à semitonio. Ergo in œconomica & politica disciplina bene fit, cum earum minimae partes peruestigantur. Sic à minimis suam Rempub. Plato inchoauit.

Primum aedes.

Hunc etiam versiculum citat libro primo Politicorum, cap. I. Huc autem pertinet mimus ille Publilianus,

„ Cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.

& illud Iuuenalis,

„ Est aliquid quocunque loco, quocunque recessu

„ Vnius dominum sese fecisse lacertæ.

Recte & prudenter.

Prius deligat quam diligit uxorem: deinde sapienter instituat: ut etiam Xenophon præcepit.

Quæ metalla tractat.

Nomine metalli intelligimus quicquid effoditur in venis & visceribus terræ: ut est alumen, creta, marmor: hinc Martialis lib. 6. de thermis Hetrusci,

„ Illic Taigeti virent metalla.

Sed agriculturæ.

Itaque Cicero in Officiis annumerat agriculturam inter artes homine libero dignas. Habes autem agriculturæ laudes apud Xenophontem in œconomico: & apud Ciceronem de Senectute & Politianum in rustico.

Quod statim vendant.

Intelligit propolas & dardanarios, qui vilius emunt quod carius vendant, & annonam vexant: ut constat ex titulo pandectarum de extraordinariis criminibus: in l. Annonam. & titulo de pœnis, l. in dardanarios. ff.

A matre sit omnibus alimentum.

Terra est omnium communis mater & parens: quæ cuncta producit, & producta nutrit. hinc à veteribus dicta est bona dea.

Alimentum.

Virgilius secundo Georgicorum,
Fundit humi facilem victum iustissima tellus.

Fortitudinem.

Nam vt inquit poëta,

” Otia debilitant animos & corpora frangunt,

” Sed facit assiduus fortia membra labor.

Sub dio.

Plin. cap. 5. lib. 18. Fortissimi viri, & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque malè cogitantes. In eandem sententiam sic Vegetius, Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem: quæ sub dio in labore nutritur, solus patiens, vmbra negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre, consuetudo de rure est.

IN CAPVT SECVNDVM.

In hominum genere curando.

Agit de œconomica societate viri & fœmina: quã non modò vult esse naturalem, sed etiam necessariam. Itaque Xenophon ait matrimonium institutum fuisse, ne genera animantium deficeret: sed vt homo in specie seruaretur, quoniam in numero non potest. Vt autem præposuit agriculturam quæ est circa quæstum, omni arti quæstuariæ: sic œconomicã societate viri & vxoris præfert omni societati. Disputauit autem superius de vxore generaliter, nũc autem specialiter.

Alibi positum est.

Hoc fecit libro secundo de animo, vbi voluit naturalissimum hominis opus esse generare sibi simile, vt etiam docet Xenophon cap. 12. œconómici.

Vt fœmina sine mare.

Quintilianus etiam lib. 2. in titulo de officio discipulorum, ait ortum hominis ex vtroque gignentium conferri. Quod enim narrant poëtæ quosdam ex se ipsis sine congressu genuisse, vt Iouem è suo cerebro genuisse Minervam, Iunonẽ verò ex contactu floris Martem: id fabulosum & commentitium.

Aliis animantibus.

Cic. lib. 1. Offic. Commune itẽ animantium est omniũ coniunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quædã eorũ quæ procreata sunt. et cap. 1. lib. 1. Polit.

In cicuribus.

Vt columbis, turturibus, palumbis.

Mutua auxilia.

Vide Aristot. de natura animalium, & Plinium lib. 8. naturalis historiæ.

In homine.

Locus est à minori ad maius. Nã bruta congregiuntur duntaxat vt propagent genus suum: at verò homines non solũ congregiuntur vt reddant naturæ quod à natura acceperunt, sed etiam vt ex genitis & natis consequantur vtilitatẽ.

Vtilitas.

Itaque sine vxore domus est imperfecta, vt tradit Homerus de Prothesilao. Hinc scriptum est ab Hesiodo,

” Sors potior muliere proba non obtigit vsquam

„ Vlla viro, contraque mala nil tetrius vsquam est, &c.
Ideo lex duodecim tabularum prohibet esse calibes, vt tradit Cicero libro ter-
tio de Legibus.

Recuperant.

Vt Aelianus tradit: & Plinius lib. 10. cap. 23. de ciconiis. Et lib. 8. de gliri-
bus. Et Aristophanes in aubus. Porro si bruta enutriunt parentes confectos æ-
tate, sanè cōgruum est rationi, vt adulescentes nutrant suos parentes annis gra-
ues. nā illud Ouidij in eos rectè torqueri queat,

Debet an ingenium mitius esse ferus?

Æternitatem.

Vide Xenophontē ca. 12. sui æconomici, vbi ad verbum hæc reperies. Eadem
quoq. tradit iuriscōsultus Callistratus in l. liberorū. ff. de verb. signif. §. vltimo.

Singulorum numero.

Non enim renascuntur liberi iidem numero, sed iidem specie. Vt autem arbo-
res mortuæ aut excisæ renascuntur in suis stolonibus & nepotibus, ita quoque
parentes in suis liberis.

Alterum valentiolem.

Eadem habes apud Xenophontem initio capitis 13. Vnde constat virum esse
natum ad imperandum: mulierem autem ad parendum. quod & à Mose tradi-
tum est initio Geneſeos capite tertio.

IN CAPVT TERTIVM.

Primum sibi.

Præſcribit quinque leges ſeruandas maritis, qui licet haberent poteſtatem vitæ
& necis in ſervos & in filios, non tamen habuerunt idem ius in vxorem, quæ
eſt ſocia & par: Par autem in parem non habet imperium. l. Par. ff. de iuriſdi-
ctione omnium iudicum. Itaque qui iniurius eſt vxori, iniuriam quoque ab ea
patitur, vt Agamemnon à Clitemneſtra. Sed qui fidem ſervat vxori, eam quo-
que fideliffimam experitur: vt fidelis Vlyſſes fidelem ſenſit Penelopem.

Quemadmodum & ancillæ.

Locus eſt à minori ad maius ex Pythagoreorum ſententia qui putabāt focum
eſſe ſacrum veſtæ: & non licere violare eum qui profugiſſet ad focum. Itaque
ſi eripere nō licet ancillam à ſacro foco quæ illuc venerit, multò minus licet eri-
pere & lādere mulierem ſuam, quæ plus eſt quàm ancilla. Larem autem fuiſſe
ſecuritatis locum & Aſyli vice, ſatis conſtat exemplo Themistoelis.

Violat autem.

Si ius coniugij à turturibus, alijsque multis brutis non violatur, certè minimè
pollui debet a viris præſertim Chriſtianis.

Venere.

Dum fortis maritus quærit foris ea quæ mulier timida cuſtodiat domi, debet
vterque vtrique ſeruare coniugalem fidem, neque cum alio congredi.

Vt mores.

Hinc ille prouerbialis ſenarius,

” Semper puellam virginem subijce seni.

Vide Erasmus in proverb. & Xenophontem capite septimo æconomici.

Morum dissimilitudo.

Diffares mores pariunt dissidia etiam inter fratres, vt constat de Amphione & Zetho: at vero similitudo morum conciliat amicitias, vt docet Cicero libro

1. Offic. in capite de gradibus societatis, & in Lælio, dialogo de Amicitia.

Vt qui superbè.

Huius similitudinis hic est sensus: vt mores nō debēt esse superbi, sic nec fucati.

Ornamento corporis.

Cicero primo Officiorum vult ornatum viri esse moderatum & virilem. Non debet autem mulier esse comptior viro, quoniam natura negat, quæ mares cultiores facit: vt patet de pavonibus, & turturibus, & palumbis.

IN CAPVT QVARTVM.

In opibus.

Cum agrum possideat homo, & bouem, & seruū, & supellectilem, nulla possessio est nobilior & dignior homine: vt colligere licet ex l. Vetus fuit quæstio. ff. de vsufructu. & ex titulo de rerū diuisione. §. in pecudum. lib. 2. institut. civil.

Principatu dignissimum.

Ouidius libro primo Metamorph.

” Sanctius his animal, mentisque capacius altæ

” Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:

” Natus homo est, &c.

Seruorum duæ species.

Vide Ciceronem in paradoxo quinto.

Cum seruis autem.

Etenim vt nimia seueritas parit odium, (quæ enim metuunt oderunt, & quem quisque odit, perisse expetit) sic nimia familiaritas parit contemptum.

Animus liberalior.

Locus non est intelligendus de apertione capitis: sed de mansuetudine & meliori tractatione.

Vino se abstinent.

Persæ vino abstinent (vt tradit Xenophon in pædia Cyri) vt & Arabes.

Contumeliam gignit.

Significat seruos ita petulantes fieri nimio cibo, vt equos nimia auena.

Alimentum satis multum.

Huc pertinet quod scriptū est à dino Paulo in epistola ad Colossenses cap. 4. Et in epistola ad Ephesios cap. 6. Et à Cicerone lib. 1. Officiorum, in capite, Atque in Repub. &c. sub finem.

Ac sicut alij.

Locus est à simili, hoc sensu. Si ingenui sunt deterrēdi pœna, & alliciendi præmio, idem faciendum est in seruis. Vitio autē pœna debetur, virtuti præmium: nam vt inquit Iuuenalis,

„ Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
„ Premia si tollas?

Non esse medicamentum.

Pharmaca desinunt esse pharmaca, & medicamenta, incipiuntque fieri alimenta, & esse familiaria, & impunè sumi (vt venena) si creberrimè sumantur: vt constat de Mithridate qui sine periculo venenum bibebat, vt est apud Plinium libro septimo, & Marti-lem hoc epigrammate,

„ Profecit poto Mithridates saepe veneno,
„ Toxica ne possent sua nocere sibi.
„ Tu quoque cauisti cœnando tam malè sēper,
„ Ne posses vnquam Cinna perire fame.

Id etiam constat de puella quæ in anguem versa est consuetudine veneni.
Omnibus autem.

Nam, vt inquit Horatius,

„ Quod caret alterna requie, durable non est.
Nam iustum.

Eadem de re disputat Aristoteles libro septimo Politicorum, capite decimo.
Suntque procreatis.

Sapienter admonet, vt ad retinēdos domi nostræ seruos, patiamur eos vxorē ducere, & filios vernas procreare. Nam filij erunt tanquā obsides, & præstābunt obicem, ne serui eorum patres, sint erronei & faciant furtum sui.

Nec plures gentis.

Locus subest à simili, hoc sensu: Vt non est tutum recipere in vrbes plures aduenas eiusdem nationis, ne vrbes inuadant: sic nec securum est includere eodem nobiscum tecto plures seruos eiusdem patriæ, ne insidientur nobis.

Atque propter seruos.

Veteres in sacris celebrabant sumptuosa cōiuiua, quibus amicos excipiebant. Hinc illud Virgilij in Bucolicis,

„ Cūm faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
Solebāntque feriis etiam intermittere labores, tum ob rem diuinam, tum ob seruorum quietem. Hinc Tibullus elegia prima libri secundi,

„ Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,

„ Et graue suspensū vomere cesset opus.

„ Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent

„ Plena coronato stare boues capite.

„ Omnia sint operata deo: non audeat vlla

„ Lanificam pensis imposuisse manum.

Vide eadem de re Ciceronem lib. 2. de Legibus, vbi ex legibus duodecim tabularum hunc versiculum citat, FERIIS IURGIA AMOVENTO: EASQUE IN FAMVLIS, OPERIBVS PATRATIS, HABENTO, &c. Vide eundem libro primo Officiorum.

Percipiunt enim serui.

Prima causa est, quia quantò rarior est voluptas seruorum, tantò maior est.

Nam, ut inquit Iuuenalis,

„ Voluptates commendat rarior usus.

Secunda causa est, quia parum in conuiuio comeditur à dominis: multum autem relinquitur seruis.

IN CAPVT QVINTVM.

Partes.

Adhuc praecepta dedit de vxore & seruis: nunc transitum facit ad alias possessiones: Ostenditque quàm prudens esse debeat & economus in illis acquirendis, conseruandis, distribuendis.

Quærendi facultatem.

Huc pertinet caput quintum libri primi Politicorum Aristotelis.

Seruandi.

Nam ut ait Ouidius initio libri secundi de arte,

„ Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Et Claudianus,

„ Plus est seruasse repertum,

„ Quàm quæsisse nouum.

Aquam haurire colo.

Vt Belides apud inferos frustra hauriunt aquas pertusis clepsidris tanquam cribris, utque aliquis conaretur frustra implere dolium pertusum, sic frustra opes comparat, qui non nouit uti comparatis.

Et plura fructuosa.

Vt quum paterfamilias comparat hortum, debet implantare plures herbas aut arbores quæ pascant palatum & ventrem, quàm oculos & nares.

Non vnà periclitentur vniuersæ.

Vt & economus comparabit sibi vineam, segetem, syluam, & res diuersas: ut si vna pereat, alia sit salua & incolumis.

Athenienses enim.

Illud fecit apud Athenas Pericles, prudens & economus, & peritus orator.

Dion.

Hic Syracusanus fuit auditor Platonis.

Nullus enim.

Gravis & vera sententia: de qua vide Ciceronem lib. 1. Offic. in capite, Prætermittenda, &c. Et apologum Cassitæ apud Gellium libro 2. ca. 29. ubi hanc Ennii præclaram sententiam affert.

„ Ne quid expectes amicos quod tu agere possis.

Domini prius expergisci.

Si enim verè scriptum est ab Homero,

„ Turpe duci totam somno producere noctem,

„ Cur non sit idem turpe patrifamilias qui dux est domus?

Ad bonam valetudinem.

Videto Galenum de sanitate tuenda.

Quum domus ædificatur.

Non debemus magnificentius ædificare, quàm pro ratione facultatum.
Valetudinis.

Quibus in locis salubrius ædificemus & habitemus, tradit Galenus de sanitate tuenda.

Fru&ibus.

Etenim authore Virgilio in Georgicis libro primo,

- „ Hic segetes, illic veniunt felicius vna:
- „ Arborei fœtus alibi: atque iniussa virescunt
- „ Gramina, nonne vides croceos ut Tmolus odores,
- „ India mittit ebur? molles sua thura Sabæi?
- „ At Chalybes nudi ferrum, viro saque Pontus
- „ Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?

Instrumentum quodque suo poni loco.

Idem præcipit etiam de instrumentis faciendæ fidei M. T. C. initio suorum Topicorum.

F I N I S.

Deo gloria & gratia.

*Ad illustrissimum Galliarum Parem, Philippum
Lenuncurium, episcopum Cathalaunensem,
Leodegarij à Quercu epigramma.*

Si fuit Antimachus solo auditore Platone
Contentus, solo si Plato Aristotele,

Cur ego te solo non sim lectore beatus?

Cum Plato sis alter, sis & Aristoteles.

Non maius (quàm te) studiorum quæro theatrum:

Nam nil te maius maximus orbis habet.

Vale.

